Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30429
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

concupiscibilem et adultum actu concupiscentem; redigit et in duplicem servitutem et in potestatem principis tenebrarum. Hinc est quod ad hoc quod parvulis sacramentum baptismi sufficiens adhibeatur remedium medicamentum, quod confert in eo dari gratiam regenerantem contra privationem gratuitae vitae, gratiam rectificantem in septiformi virtute contra privationem virtutis habilitate, gratiam purificantem ab omni culpa contra pronitatem ad omnem deordinationem vitiosam. Et quia origo peccatum traxit aliunde, et parvulum facit concupiscentem et adultum actu concupiscentem, necessaria est adulto fides propria et poenitentia; sed parvulo sufficit aliena, quae scilicet universalis ecclesiae. Quia vero baptismus debet eruere de servitute diaboli et de potestate principis tenebrarum tam parvulos quam adultos, hinc est quod utrique exorcizari debent ad expulsionem potestatis contrariae, utrique et catechizari: adulti ut expulsa caligine erroris informentur ad fidem, parvuli vero ut sciant patrini quod eos debent edocere, ne pro humano defectu impediatur baptismatis sacramentum quominus habeat finem suum.

De sacramento confirmationis

De sacramento confirmationis hoc tenendum est quod ad eius integritatem requiritur forma vocalis, quae in ore magis communis sit: Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Requiritur etiam in chrismate quod conficitur ex oleo olivarum et balsamo, de quo cum per manus episcopi signum crucis fronti imprimitur, sub praedicta forma verborum confirmationis suscipitur sacramentum, per quod confirmatur homo ut pugil ad nomen Christi audacter et publice confitendum.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est. Quia reparativum principium nostrum verbum incarnatum sic aeternaliter conceptum est in corde Patris, et temporaliter in carne sensibiliter apparuit homini, sic nemini reparat nisi ipsum et corde credendo concipiat, et exterius confitendo depromat confessione debita. Cum autem confessio iudicialis veritate plena, quae non tantum est veritas speculativa, verum etiam practica. Haec autem est integra, non tantum est adaequatio intellectus sermonis; verum etiam in quantum homo veritati conformatur secundum intelligentiam rationis, secundum complacentiam voluntatis et secundum adhaerentiam virtutis, ut sic ex toto corde, tota anima, tota mente, sic ex corde puro, conscientia bona et fide non ficta. Et talis est confessio integra et placida et intrepida: ut sit integra ratione eius de quo est, placida ratione eius coram quo, intrepida ratione eius a quo fit, id est confitentis.

Quoniam igitur homo ad hoc pusillanimis non est idoneus nisi per manum supernae gratiae confirmetur, ideo ad hoc sacramentum confirmationis fuit divinitus institutum tamquam in medio sequens baptismum. Quia vero finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem, ideo integri debet hoc sacramentum secundum exigentiam confessionis praedictae et suarum conditionum, videlicet praedictarum. Primo igitur quoniam confessio haec debet esse integra, et integritas confessionis non est nisi quis confiteatur Christum verum hominem passibilem crucifixum, eundemque verum Dei filium incarnatum in deitate vel in trinitate Patri et Spiritui sancto per omnia coaequalem; hinc est quod in forma vocabuli non tantum est expressio actus confirmandi, verum etiam ipsius signum crucis et nominis beatissimae Trinitatis. Amplius quoniam confessio debet esse placida ratione eius coram quo fit, et fit haec coram Deo et hominibus, et Deo non potest placere nisi assit lumen intelligentiae et nitor conscientiae, nec proximo nisi assit odor bonae famae et vitae honestae; ideo ad horum designationem in elemento exteriori commiscetur oleum olivarum, quod est nitidum, balsamo quod est odoriferum, ut per hoc significetur quod confessio ad quam hoc sacramentum ordinat et disponit convictum debet habere nitorem conscientiae et intelligentiae cum suavi odore tam vitae quam famae, ne contrarietas aliqua sit inter linguam et inter conscientiam vel inter linguam et famam, propter quam talis confessio non acceptatur ab homine nec approbatur a Christo. Postremo quia talis confessio debet esse intrepida, ut nec timore nec pudore dimittat quis dicere veritatem, et tempore persecutionis ignominiosam mortem Christi in cruce publice confiteri non formidat quis et erubescat, praecipue horrens in confitentem incidere poenam et ignominiam passionis; et hic timor et pudor potissime apparet in facie et maxime in fronte; ideo ad omnem verecundiam et formidinem propulsandam et manus impositio in fronte quae confirmatur, et crux Christi fronti imprimatur ut non erubescat eam publice confiteri, nec formidet pro confessione nominis Christi, si opus fuerit, quantacumque poenam vel ignominiam sustinere, tamquam verus pugil unctus ad pugnam, et tamquam strenuus miles ferens in fronte regis sui signum et crucis eius triumphale vexillum, cum quo paratus sit hostium cuneos penetrare securus. Non enim potest gloriam crucis libere praedicare qui crucis poenam et ignominiam formidet; unde congrue Andreas dicebat: Ego si crucis expavescerem, crucis gloriam non praedicarem.

De sacramento eucharistiae